Lepicki Floriani: Quaestio philosophica de scientia.

QVÆSTIO PHILOSOPHICA

De

SCIENTIA

Publicæ Disputationi
In Alma Academia Cracouiensi
Permissu
MAGNIFICI D. RECTORIS
A

M. FLORIANO LEPIECKI
Collegij Minoris Professore

PROPOSITA.

Anno Domini 1649, *Die* 19. *Nouembris.*

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Martini Filipowski.



QVÆSTIO.

VTrum Præter alios habitus intellectuales euidentes & ineuidentes detur habitus Scientiæ per demonſtrationem acquiſitus, illeq; tam Subalternans quam Subalternatus, vnitatem vel diuerſitatem per Obiecta in eſſe ſcibilis conſiderata accipiens, ſitq; vnius ſimplicis qualitatis in ordine ad omnes ſuas Concluſiones, necne?



CONCLVSIO I.

PRæter alios habitus intellectuales euidentes & inevidentes datur Scientia.

COROLLARIA.

I. Sapientia, Intellectus, Scientia: item Prudentia & Ars ordinant intellectum solùm circa verum Speculatiuũ aut Practicum. Opinio verò, Fides humana, Suspicio, habent se ad verum & falsum.

II. Primi tres habitus important rectitudinem cognitionis circa necessaria; Scientia quidem circa Conclusiones, Intellectus circa principia, Sapientia circa causas altissimas: Posteriores duo circa contingentia; Prudentia quidem dirigit agibilia, ars factibilia.

III. Tam Opinio, quàm Fides, et Suspicio, sunt assensus alicuius rei, vel ob medium probabile, vel ob auctoritatem dicentis, vel propter leue aliquod signum; sed cum essentiali obscuritatis & incertitudinis formidine sibi annexa.

IV. Intellectus non est ipsa potentia intellectiua, sed est habitus illi superadditus, partim naturalis, partim acquisitus, in specie infima pro omnibus scientiis speculatiuis tam vniuersalibus quàm particularibus sufficiens.

V. Scientia & Opinio, siue pro actibus siue pro habitibus accepta, intrinsecè repugnant de eadem re simul esse in eodem intellectu.

CONCLVSIO II.

Scientia est habitus per Demonstrationem acquisitus.

COROLLARIA.

I. Non mediocriter errauit Plato asserens: Scientias à principio animæ humanæ esse infusas, nihilq́ue de nouo sciri, sed nostrum scire solùm esse quoddam reminisci.

II. Porro actualem scientiam 1. Poster: cap: 2 probè definiuit Aristoteles, dum inquit: Scire est cognoscere causam, ob quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, vt aliter se res habeat.

III. Quemadmodum Demonstrationem, Propter Quid, & Quia, conuenire vniuocè ex parte certitudinis & euidentiæ in ratione Demonstrationis asserimus: ita etiam vtramq; hâc Demonstrationem simpliciter causare veram & perfectam scientiam tenemus.

IV. Non negamus tamen, Demonstrationem Quia ex parte obiecti, cuius An est non Quod quid est attingit, imperfectè attingere rationem Scientiæ.

V. Quæ

V. Quæ tamen Demonstratio sic considerata potest reduci ad eandem speciem scientiæ Propter quid, non absolutè quidem, sed dispositiuè.

CONCLVSIO III.

INter scientias aliquæ sunt Subalternantes, aliquæ Subalternatæ.

COROLLARIA.

I. Vera & propriissima scientiarum subalternatio non est ratione finis, vel principiorum tantùm, sed est ratione subiecti, dum scilicet inferior scientia addit differentiam accidentalem, non essentialem, nec propriam passionem.

II. Hæc tamen addita differentia non quæcunq; sed talis esse debet, vt ex coniunctione ad obiectum superioris scientiæ habeat speciales passiones in sui manifestatione à principiis subiecti superioris scientiæ dependentes.

III. Licet subalternata scientia habeat pro subiecto aliquid contractum differentiâ accidentali, non tamen habet pro Obiecto Ens per accidens, sed vnum per se.

IV. Scientia subalternata est verè & essentialiter scientia, idemq; habitus specificus, tam in eo qui habet, quàm qui non habet subalternantem.

V. In

V. In absentia tamen subalternantis habebit statum imperfectum scientiæ ex parte subiecti subalternata, quamdiu de facto non coniungatur subalternanti.

CONCLVSIO JV.

VNitatem vel diuersitatem per Obiecta in esse scibilis considerata accipiunt Scientiæ.

COROLLARIA.

I. Ab Entitate Obiecti materiali, specifica aut generica distinctio aut vnitas scientiæ nullâ ratione haberi potest.

II. Neq; ex sola vnitate subiecti principalis, quatenus veritates partiales ab illo dependent, ad illudq; ordinantur, vnitas vel distinctio scientiæ est petenda.

III. Vnitas vel diuersitas scientiarum generica à triplici illa scilicet à materia singulari, sensibili, & intelligibili abstractione sumi debet.

IV. Vnitas verò vel distinctio specifica principiorum formalium intra idem genus scibilis seu intra eandem abstractionem receptorum vnitatem vel diuersitatem in specie atoma scientiarum constituunt.

V. In scientiis tamen mediis inter Mathematicas & Naturales

turales: v. g. Musica, Perspectiua, Astrologia &c. vnitas aut distinctio specifica sumenda est ex principiis, quæ sunt prima intra abstractionem propriam ipsorum principiorum.

CONCLVSIO V.

SCientia totalis est vna simplex qualitas in ordine ad omnes Conclusiones talis scientiæ.

COROLLARIA.

I. Actus seu demonstrationes ab habitu scientiæ ordinatè procedentes, licet res diuersas specie in esse rei attingant, vnam tantùm entitate, non ordinatione scientiam constituũt.

II. Nec quidquam prohibet, scientiam esse simplicem habitum, etsi tendat sub diuersis motiuis siue mediis ad diuersas veritates & Conclusiones demonstrandas.

III. Certum quoq; est, secundam vel tertiam Demonstrationem non producere nouum habitum scientiæ entitatiuè, sed tantùm præexistentem reddere perfectiorem.

IV. Perfectio hæc non fit per additionem intrinsecam formæ ad formam, sed per extrinsecam, id est per nouam applicationem formæ ad materiam sibi subiectam.

V. Inde quoq; fit, quòd generato habitu erroneo circa secundam vel tertiam Conclusionem, non destruitur habitus scientiæ absolutè, sed respectiuè, quatenus proximè & in actu inclinabat ad illas Conclusiones.

Sub Felicibus Auſpiciis

Magnifici & Admodum Rńdi Domini

D. STANISLAI ROZYCKI

I. V. Doctoris & Profeſſoris, Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Crac: Cancellarij,

Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis

RECTORIS VIGILAN-TISSIMI.

